

QV. 346, 42.

#

X 1388947

II i
1287



LOCI
DE IVSTIFI-
CATIONE HOMINIS

peccatoris coram Deo,

Διασάφρις

quam

In collationem sobriam collegij quartium
constituti, proponebat

CHRISTOPHORVS PELARGVS
SS. Theol. D. & P.P. atq; Ecclesia-
rum Electoratus Brandenburgici Su-
perattendens General.

Ad diem 19. Februar.

ANNO XCVII.

Respondente

DANIELE CLEMENTE
Mileto Silesio.

Damascen. de Imag.

Χριστιανὸς πιστὸς ἐστὶν τὸ τῶν χριστιανῶν πιστὸς.

Francof. Typis Friderici Hartmanni





ILLVSTRISSIMO
CELSISSIMO

ET

GENEROSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, Dn. CAROLO,
Duci Silesiæ Monſterbergenſium &
Olsnenſium, Comiti Gla-
cenſium &c.

*Domino ſuo clementiſſimo
Mecanati ac patrono ſummo*

Hæc

De Juſtificatione hominis coram Deo aſſertiones
Studiorum ſuorum teſtimonium

IN


Devotæ obſervantiæ Symbolum
Memoris ſubiectiq; animi monimentum

humillimè & meritiffimè
dedicat, offert, conſecrat

Studioſiſ. & ſubiectiſ.

Clieus

*Daniel Clemens
Reſpondens.*



Lectissimo Dn.

*Danieli Clementi Mileto Silesio
in sacris differenti.*

DANIEL CLEMENS MILETVS

Per Anagramm.

Sic Mens illa edet lumen. Anagramm:

Cum radijs crebris tua Mens scintillet abundè
Vt sacrâ ingreditur Mystica sacra viâ:
Quidnam speremus, simul ac maturior ætas
Sacris addictum continuabit iter?

Ominis en nobis veri præfagia vera

Nomen portendit non sine laude tuum:

Sic MENS ILLA EDET quondam venerabile
LVMEN

Sic collustrabit dogmata sacra nitens.

Omne quid majus tali? Mens, opto, coruscum

Mox edat lumen, mox jubar edat ovans.

Notum.

Matthæus Rudingerus

Fraustad. Sil. Poeta

Cæsareus & N.P.



I V V E N I

ORNATISSIMO AC
DOCTISSIMO Dn. DANIELI
CLEMENTI, Respondentis munere
fungenti, amico suo.

Contra Pontificios

Dicite Pontifices, quod jus Iusti ante tribunal
Iudicis injustos justificare queat:
Num vanus Cuculi detonso crine cucullus?
Sanctorumve preces? spissave Missa malis?
Cedite Pontifices, pons est hic debilis: hæret
Qui petit hunc, medijs præcipitatus aquis:
Cedite Pontifices, Monachi, Papa: Mensq; fidesq;
Disvadent, aliud svadet & ipse DEVS.
Persvadet doctè magno moderante PELARGO
CLERICA MENS CLEMENS: cedite Pontifices
Pontifices pontes vestros curate: Sacra
Tu fontes Verbi volve, revolve, tege.

*Jacobus Scultetus
Crofn. Sil. F.*


F I N I S.

LOC I
DE IVSTIFICATIONE
PECCATORIS CORAM DEO.

Respondente

DANIELE CLEMENTE
Mileto Silesio.

THESIS.

 *Vm non solum ^{οι λόγοι} sint ^{ως τα πράγμ}
^{ματα}, verum etiam vocabula &
verba conueniat rebus esse ac-
commodata: i. Initio quidem justificandi
verbum Hebræa phrasi profitemur signi-
ficare in foro caelesti, absolutionem à
peccatis & imputationem iusticiæ.*

II.

Iusticiam hic non causa sed persona,
nec proprie inherentem sed imputatam,
non activam sed passivam in nobis sta-
tuimus.

A

Causas

III.

*Causas etiam agnoscimus, 1. Efficien-
tem, patris dilectionem 2. Materialem
Christum pro nobis passum & crucifixum.
3. Formalem causam ipsam imputatio-
nem justiciæ Christi. 4. Instrumentalem
respectu nostri solam fidem. 5. Finalem
deniq; respectu nostri pacem æternam.
6. Effectum, novitatem vitæq; Sancti-
tatem.*

MEMBRI PRIMI.

Ἰουδαϊσμός

ΠΟΛΥΣΗΜΟΝ est justificandi verbum, quod in genere
significat à re quapiam liberari, immunemque
fieri, Rom. 6. v. 7. qui mortuus est, justificatus est à
peccato. In specie vel sese ipsum, sive alium justum
censere & agnoscere, vt Lucæ 7. v. 29. & 10. cap. v.
29. & 18. cap. v. 18. Matth. 11. v. 19. 2. vel à iudicio
eximi & absolvi, vt Matth. 12. v. 37: Ex sermonibus
tuis justificaberis, id est, absolueris: In actis 13. v. 38:
Non potuistis per legem Moïsis absolvi. Ita ad Rom.
5. v. 18. 3. vel declarare suam iusticiam, sicut apud Ia-
cob, 1. c. v. 21. accipitur, & de Christo 1. Tim. 3. 16. qui
dicitur justificatus spiritu. In iudicio igitur spirituali,
nihil aliud significat, quàm à reatu & poenâ absolvi,
iustumq; pronuciari, iuxta totam scripturæ cælestis
ἁγιασματιαν. Id patrum comprobemus calculo: Augusti-
nus in Psalmū trigesimū primū: Si, inquit, justificatur
impius,

impius, ex impio fit justus: sed quomodo? nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Contra Iulianum citat idem Ambrosij dictum: Eum nempe justificari à peccato, cui per Baptismum, peccata remittuntur omnia. Sic veterum legas explicationes apud Oecumenium in tertium caput Epistol. ad Rom. Iusticia, inquit, DEI est justificatio ex DEO, absolutio ac liberatio à peccatis, à quibus lex ipsa absolueri non potuit. Item. quomodo fit justificatio? per remissionem peccatorum, quam in Christo Iesu consequimur.

MEMBRI SECUNDI.

Quòd non causæ sed personæ hìc spectetur iusticia, inde manifestum, quia de hominum coram Deo fontium absolute agimus: in quibus cum nihil inveniri queat dignum veniâ, Psal. 143. v. 2. aliena interveniat necesse est iusticia, Christi videlicet, qui est nostra iusticia, Ierem. 23. v. 6. 1. Cor. 1. v. 30.

MEMBRI TERTII.

I. Deum esse causam Efficientem, constans est passim scripturæ assertio, Esa. 43. v. 25. Ecce ego sum qui deleo iniquitates tuas. Rom. 8. v. 33. Deus est qui justificat, unde & Dei iusticia nominatur ad Roman. 3. v. 21: Quem sola impulit misericordia & gratia, ad Eph. 2. v. 8. ad Tit. 3. v. 5. & 7.

II. Materialis causa Christus est satisfactione & merito suo, Rom. 3. v. 25: Propter eum namq; solum justificamur, qui tollit peccata mundi. At Christus tollit, Ioh. 1. v. 29. Ergo propter solum Christum non propter opera aut fidem justificamur, vt argumentatus est Ambrosius de fuga seculi tom. 4. cap. 3.

III. Formam sive modum consistere in imputati-
one obedientiae & iusticiae Christi, ostendunt testimo-
nia ex 18. Lucae v. 14. in exemplo publicani, cui debita
legis imputatur persolutio, ex 4. ad Rom. cap. 6. ubi
expressè scriptum, Deus imputat iusticiam absq; ope-
ribus, ex posteriori ad Corinth. 5. v. 19. Deus in
Christo mundum reconciliavit sibi, non imputando
eis peccata ipsorum. Ita Bernhardus: Mors in Christi
morte fugatur, & Christi iusticia nobis imputatur:
de sepulchro ad milites templi: Idem Epistola 190.
Vnius satisfactio omnibus imputatur. Vide & Hie-
ronym. in Psal. 31.

IV. Causa instrumentalis duplex est, vna re-
spectu Dei iustificantis, qui proposuit nobis Chri-
stum *ἰλαστήριον*, Rom. 3. v. 25, & nobis gratiam suam
offert per Euangelium & Sacramenta. Altera re-
spectu nostri, FIDES, promissiones gratiae Dei
firmiter amplexa, de qua dicitur Rom. 3. v. 22. & 4.
cap. v. 5. Galat. 3. v. 8. 1. Timoth. 3. v. 13. Quod au-
tem SOLA FIDES Christi apprehendit iusti-
ciam, particulae docent exclusivae, absque operibus
legis, ad Rom. 3. v. 28. Galat. 2. v. 16. non ex nobis
Ephes. 2. v. 8. non ex operibus quae fecimus nos Tit.
3. v. 5. gratis Rom. 3. v. 24. Solum vel solummodo
credenti, ut est in textu Syro, 4. cap. Epistolae ad
Rom. v. 5. Harum omnium usus necessarius est, 1. &
ad *δοξολογίαν* Christo soli debitam, (Esa. 48. v. 11. glo-
riam meam alteri non dabo) qui solus torcular cal-
cavit, Esa. 63. v. 3. in cuius nomine tantum salus,
Act. 4. v. 12. 2. Et ad *πληροφροσίαν*, ut firmo nitatur
con-

conscientia nostra solatio, sine omni dubitatione,
Rom. 4. v. 16. Gal. 2. v. 21. 3. ad *διάνησι* promissio-
num legalium & Evangelicarum: illæ operum con-
ditionem, hæ fidem solam requirunt. 4. Et quod Oro-
ganon dari nequit aliud quo Christum apprehen-
damus.

Non esse autem hoc cum Luthero natum dog-
ma, sed à totâ vetustate semper susceptum, vel il-
lud facile arguat, quod Iulianus Apostata, Christianis
FIDEM SOLAM isto iam probrosè objecit Seculo:
οὐδὲν, inquit, *ὕπερ τὸ πιστεῦσον τῆς ἡμετέρας ἐπιστοφίας*, refe-
rente Sozomeno libro quinto, capite decimo-octavo,
historiæ Ecclesiasticæ: Quam vocem Cyprianus
hoc pacto reddidit, in expositione Symboli Apostoli-
ci: Pagani nobis objicere solent, quod religio nostra,
quæ quasi rationibus deficit, in sola credendi persua-
sione consistat. In conspectu tamen hæc venerandæ
antiquitatis versentur testimonia. 1. Clementis Ale-
xandrini, qui circa annum Christi vixit 200: hic li-
bro septimo *εἰρημάτων*, **SOLA**, inquit, **FIDES** ef-
ficat fidelem perfectum. Alterum Irenæi qui vixit
temporibus Apostolorum, qui Clemente antiquior,
docuit anno Christi 160: hic, **FIDES**, ait, quæ
est ad Deum, justificat hominem libro quarto, capite
decimo-tertio, & in præfatione tertij libri: **SOLA**
FIDES vera est & vivificat. Tertium Origenis,
anno 230, qui in tertium caput ad Romanos; ad justi-
ficandum **SOLA FIDES** sufficit. Quartum Hi-
lar j, (docuit anno 350) canone octavo & vigesimo
primo, sup. Matth. **SOLA FIDES** in Christum

justificat homines. Prætereo lubens Cyprianum in expositione Symboli, Athanasij ad Gal. 3. Basilij nobilem sententiam de humilitate: Chrysofomi voces ad Gal. 3. Ephes. 5. Nazianzeni in oratione de ordine recto *διηγούμενη τὸ πιστεύειν μόνον*. Vnus Ambrosius decies quater vno & altero capite Epist. ad Rom. particulam SOLAM usurpavit: nec deest nobis Hieronymi, Augustini & aliorum suffragium.

V. Finalis causa cum duplex sit, altera respectu Dei, altera respectu nostri: illam statuimus Dei esse gloriam, & demonstrationem justitiæ ac misericordiæ suæ, Esa. 43. versu septimo: Omnis qui invocat nomen meum, &c. Eph. 1. versu duodecimo, hanc pacem conscientiarum ex quinto capite ad Romanos, versu primo, & vitam æternam ex. 6. Rom. versu 22. 1. Petri 1. v. 9.

VI. Effectum in nobis tanquam in subjecto inhærens, nova illa dici potest qualitas sive justitia inhærens & regenerans, quæ nos coram DEO non absolvit, sed nostræ duntaxat in Christum insitionis, ac gratitiæ in eodem absolutionis certissimum est

αρετήριον: quemadmodum opera illa justificationem demum consequi, in aurea sua ad

Rom. Epistola, Paulus ostendit.



ANTI-



ANTITHESES.

I.

Iustificari est ex iniusto justum fieri.

II.

Iusticia est inharens animo qualitas.

III.

I. Cuius causa efficiens partim nostrum, partim meritum alienum. 2. Materialis, animus hominis, sive ipsa hominis voluntas. 3. Formalis, est ipse habitus gratie sive charitatis infusus: Item opera iusta. 4. Instrumentalis verbum DEI, Sacramenta (& quidem 7) ipsi ministri verbi & sacramentorum: 5. Finalis ut cœlum promerantur homines iusticiâ suâ: 6. Effectum denique ^{inveniens} omnium peccatorum mortalium.

PRIMI

MEMBRI PRIMI.

ex de C. 15.

Quod justificandi verbum immutationem quandam & alterationem notet qualitarum, sive translationem status, non modo Andradius lib. 6. Costerus cap. 6. Enchiridij: Sed vniversi affirmant Iesuitæ ex Canone II. Concilij Tridentini sess. 6.

MEMBRI SECUNDI.

De Iusticiâ sic loquitur Sanderus libr. 6: Iusticia Christianorum, quâ coràm Deo justificantur, non aliunde imputatur, sed in ipsorum animis per DEI gratiam & donum constituitur & inhæret. Concilium Tridentinum sess. 6. capite decimosexto: Quæ iusticia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem, justificamur, illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur.

MEMBRI TERTII.

I. De Efficiente causâ, tametsi Robertus Bellarminus idem videatur docuisse, quod nostri tom. 3. lib. II. cap. 2: quia tamen dispositionum deinceps & præparationum meminit vnâ cum alijs, quid putabimus ipsum velle aliud, quàm esse in nobis & à nobis, vnde Dei adipiscamur iusticiam. Sicut Hieronymi Torrensis opinio est libro secundo, capite quarto, non omnibus æqualem justificationis gratiam, sed alijs majorem, alijs minorem conferri juxta diversam horum dispositionem. Et meritum condigni ac congrui, de
quo

quo apud Bonaventuram libro primo dist. 41. articul.
8. efficientem promerentemque causam hominibus fo-
lis accenset.

(Meritum congrui vocant, quando peccator
facit, quod in se est & pro se, ut ideo sit acceptus. Vt:
si quis pauperibus opes suas distribuatur. Meritum di-
gni quando justus facit pro alio. Meritum condigni,
quando justus operatur pro se ipso, vt per sua bona
opera, promereatur vitam æternam.)

Quomodo Mariæ attributa sit iusticiæ causa le-
gatur Hortulus animæ, & Compendium Theologicæ
veritatis libro sexto capite 32. vbi inter alia hæc etiam
satis impiè scripta. In justificatione impij est aliquid
ex parte Dei, aliquid ex parte peccatoris, aliquid ex
parte Ecclesiæ. Ex parte DEI duo, misericordia,
quæ malum indulget, & iusticia, quæ emendam ali-
quantulam exigit, vel hîc vel in futuro purgatorio.
Ex peccatoris parte sunt etiam duo, scilicet Dei amor,
& dolor; & hæ sunt duæ molæ, quibus peccatum con-
teritur. Ex parte Ecclesiæ similiter sunt duo; pri-
mum meritum Christi & sanctorum: secundum in-
dulgentia per Papam & Episcopos.

2. De materiali causa sic ait Bellarminus libro
primo, capite secundo, tomo tertio: Materialis est a-
nimus hominis, sive ipsa eius voluntas, in quâ iusti-
cia tanquam in subiecto & sede propria, commora-
tur. Item dispositiones, quæ materiam præparant
ad recipiendam formam &c.

3. Formalis causæ idem etiam signato loco toti-

A 5 dem

dem meminit verbis. Sanderus autem libro secundo de justitia fidei capite primo: Formalis, inquit, causa nostræ justificationis est justitia. Nam ut sapientiâ sapientes, & bonitate reddimur boni: Sic justiciâ reddimur justii. Canisius in Catechesi (titulo de Iustificatione: Formalis causa, est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ & non modo reputamur: sed verè justii nominamur & sumus.

4. Instrumentalis Canisio est Sacramentum Baptismi, sine quo nulli vnquam contigerit justificatio: Sanderus verbum Dei prædicatum & auditum, & Sacramenta: Bellarminus etiam ipsos huc adducit administratos. Compendium Theolog. veritatis libro sexto, capite octavo, Sacramenta, inquit, novæ legis justificant, & quo ad opus operatum, & quo ad opus operans.

5. Finis vltimus juxta Pontificios est promereri cœlum: Quia enim primam justiciam Deo tribuunt, alteram sibi: hac persuadentur tum hujus tum cœlestis vitæ promereri universa bona. Vide Discipulum de tempore, ferm. 150. Pacem conscientiarum non agnoscunt finem, quandoquidem de salute dubitandum esse ex sequentibus pronunciant argumentis. 1. Quod particulæ dubitandi, fortè, forsitan, quis scit, crebrò vsurpentur, 2. Sam. 16. versu duodecimo, Act. 8. versu vigesimo secundo. Ioel. 2. versu decimoquarto, Ionæ 3. versu nono. 2. Quod beatus prædicetur

dicetur qui pavet, Proverb. 28. versu decimoquarto:
Beatus homo qui semper pavet. 3. Quod nesciat ho-
mo vtrum amore an odio dignus sit, apud Ecclesia-
sten 9. versu primo. 4. Quod de propitiato peccato
nolit nos esse sine metu, Ecclesiasticus capite quinto.
5. Quod timere iusserit Apostolus, Rom. 11. versu
vigesimo: Intimore & tremore operari præceperit
nos salutem, ad Philip. 2 versu duodecimo. Cum ta-
men ut ad singula, uno duntaxat verbo respondeamus,
1. non dabitantis, sed vel bene ominantis ac operan-
tis, vel asseverantis particulæ illæ sint in sacris.
2. Nec de amore & odio Dei, sed hominum agatur
ex eventu apud Ecclesiasten. 3. Et Ecclesiasticus
carnalem saltem prohibeat securitatem. 4. Con-
fidentiam verò & superbiam Apostolus prohibeat.
5. Sollicitudinem itidem præcipiat, ac studium
vitandi lapsus contra conscientiam, & vivendi
D E O.


6. Quod in justificatione prorsus auferantur
peccata mortalia, vt perfectè justus sit homo, docuit
Torrensis libro secundo, capite quarto. Concilium Tri-
dent. canone 31. sess. 6. Sic Thomas parte primâ se-
cundæ, quæstione 113. Ita justificationem & sancti-
ficationem similiter confundunt, sessione sexta, ca-
pite septimo concilij Tridentini. Sed manifestam
hic observa *ἐναντιολογίας*: Peccata, aiunt confidenter,
tolli omnia: & de remissione tamen illorum, nemi-
nem volunt esse certum; vt est in propositione vn-
decima & trigef. Maluandæ in Colloquio Ratisbo-
nensi,

Q 17, 1287

nensi, anno 1546. Etsi, inquit, certum sit, omnia
peccata, quæ vlllo vnquam tempore remissã sunt, aut
remittuntur, per sanguinem propitiatoris remitti:
tamen cum quis firmiter & certò statuit, sibi remissã
esse peccata, non habens conditionis suæ & in-
firmitatis rationem, iudicio magis te-
merario, quàm scripturæ au-
toritate ducitur.



ML



B.I.G.

Farbkarte #13

Qn. 340, 42.
#

X 1388947

Π i
1287



LOCI
DE IVSTIFI-
CATIONE HOMINIS

peccatoris coram Deo,

Διασάφεις

quam

In collationem sobriam collegij quartum
constituti, proponebat

CHRISTOPHORVS PELARGVS
SS. Theol. D. & P. P. atq; Ecclesia-
rum Electoratus Brandenburgici Su-
perattendens General.

Addiem 19. Februar.

ANNO XCVII.

Respondente

DANIELE CLEMENTE
Mileto Silesio.

Damascen. de Imag.

Χριστιανικῆς πίστεως ἐστὶν τὰ τῶν χριστιανῶν πίστεως.

Francof. Typis Friderici Hartmanni

